

§8 DE LAPIDIBUS NULLA CERTA

jaspide spadiceo loco silicis, ad eliciendum
ignem, usi sint, cum hâc exclamatione:
O sancta simplicitas Germanorum. Jaspi-
dis acuta latera, vitrum dividunt, quod
de adamante novimus. Tale experimen-
tum etiam, cum silicis durioris frustulis, a-
cutis, facere possumus. **U**sus in medicina
observatur varius, tam *ad sistendum san-
guinem*, commendante *Andr. Cæsalpino*
Lib. II. de metallicis Cap. 39. & *os ventri-
culi corroborandum*, teste *Agricola de Nat.
fossil. Lib. I. Cap. 12.* quam *ad absorbendum*,
& *partum difficilem, faciliorem reddendum*,
si ad femora parturientis alligetur: quae
virtus *aëtiti à vulgo tribuitur*, & *Magne-
tis Helmontius* adscribit. Quid de hâc ope-
randi vi statuendum, & quomodo in par-
turientis corpus agat, partumque accele-
ret? in *Dissertat. mea de superfluis & no-
xiis quibusdam in chirurgia*, §. VII. pag. 8.
dilucide explicavi. Laudant etiam magi-
sigillum ex jaspide paratum, cui *Leporis*,
animalis fugacissimi, effigies insculpta est,
*in avertendis abigendisque diaboli insulti-
bus*: quod sigillum à Salomone, Israelita-
rum Rege, inventum esse, asseverant. An
vero Diabolus timidi leporis imaginem, &
ja-